

DE QVALITATIBVS



Odecatemorion Saturni in domo Martis , dat anxietates , & tristitias ac indigentiam. In domo Iouis, dat officium iudicis. In domo Lunæ, miseras & labores, In domo Solis, malum statum, & malos mores.

Dodecatemorion Martis cum Mercurio , & unus eorum commixtus ascendentij uel habens testimonium in ascendentे, significat quod natus erit audax, & animosus.

Dodecatemorion Mercurij in domo Iouis, Mercurio habente in ascendentе aliquam dignitatem, significat natum diligere iustitiam .

Dodecatemorion Veneris in domo Iouis laetitiam & castitatem significat, In domo Martis fornicationem, maxime si fuerit in angulo.

Dodecatemorion Iouis in domo Veneris , dat coitum cum mulieribus, moderatum tamen & legitimum.

Nunc de imaginibus cœlit; Et primo de ijs quæ in Zodiaco sunt.



Rietis signum cum suis stellis, facit natum superbum , & suis consilijs confidentem, parui tamen ingenij, & simplicis animi, amatorem filiorum, suis bonis non contentum, inuercundum, in honestum, commissationibus & potationibus omnino deditum , precipitem, mutantem saepius sedem , & qui soleat delectari etiam in ocio, lasciujs, vagus semper per orbem, ignotus , cupidusq; scrutari nouum se in pelagus.

Tauri uero signum, facit natos tacitæ mentis, & parui ingenij, sed si quando exitentur miranda faciunt, cupidos etiam uetera innouandi, amatores puellarum, libidinosos, & simplices, suos amores libenter celantes . Sed pars suæ constellationis in qua sunt pleiades , facit natum lasciuum & occupatum semper circa uoluptates, petulantem, temulentum, gulosum, & mordacem dictis, curam habentem corpora pingendi, poliendo pilos pumice, & tangere capillos , & diligere dicta probra factaque, & gaudet in ambitione audaciam fingendo . Sed pars illa in qua sunt stellæ Hyades, maxime clara Hyadum quæ dicitur Aldebaran, facit natum inquietum, & turbulentum, & seditione populari gaudentem, interdum fidum sed amantem bella propter pacem.

Geminorum autem signum, inclinat natum ad bonas artes, & facit eum musicæ studiosum boni ingenij, mutabilem, rationabilem, honestum.

Cancri signum facit natum amatorem commutationum, mercimoniarum, mobilem.

Leonis signum præsertim pars oris, facit natum crudelem , fortē rapacem, auarum & minacem , & cupidum uiuendi ex rapinis , & illas quandoque retinere, quandoque profundere, & adeo cupidum facit, ut nullo censu possit animum replere, gaudentem commissationibus, & gulosum. Sed stella eius regia quæ dicitur cor Leonis, natum facit imperij desiderio æstuare, superbum & magnanimum.

Virginis astrum facit natum iustum , rationabilem, uerecundum, studiosum, colentem diuinam, cupidum dare diuinas leges . Sed clara eius stella supra sinistram palmam stans, quæ Spica dicitur, inclinat natum ad amorem agriculturæ, & ad parandum ex ea alimenta, ac etiam magnarum artium cognitionem præbet, maxime si à Mercurio bene disposito respicitur.

Libræ signum cum suis stellis, facit natum iustum & omnia æquitate considerantem, & sibimet mortis causam inferentem, & credentem plurimum suæ imaginationi, studiosum in reperiendo bonas artes, bonum & rationabilem.

Scorpio